

T7

## Bacchides vv. 1087-1211

### Due vecchi cialtroni

#### Personaggi in scena

**BACCHIS:** giovane amata da Mnesiloco  
**SOROR:** gemella di Bacchide, amata da Pistoclero  
**PHILOXENUS:** padre di Pistoclero  
**NICOBULUS:** padre di Mnesiloco

- NICOBULUS** Quicumque ubi ubi sunt, qui fuerunt quique futuri sunt posthac stulti, stolidi, fatui, fungi, bardi, blenni, buccones, solus ego omnis longe antideo
- 1089a** stultitia et moribus indoctis.
- 1090** Perii, pudet: hocine me aetatis
- 1090a** ludos bis factum esse indigne?  
Magis quam id reputo, tam magis uror
- 1091a** quae meus filius turbavit.  
Perditus sum atque eradicatus
- 1092a** sum, omnibus exemplis excrucior.  
Omnia me mala consecretantur,
- 1093a** omnibus exitiis interii.  
Chrysalus me hodie laceravit,
- 1094a** Chrysalus me miserum spoliavit:
- 1095** is me scelus auro usque attondit
- 1095a** dolis doctis indoctum, ut lubitumst.  
Ita miles memorat meretricem esse
- 1096a** eam quam ille uxorem esse aiebat,  
omniaque ut quidque actum est memoravit,
- 1097a** eam sibi hunc annum conductam,  
relicuom id auri factum quod ego ei
- 1098a** stultissimus homo promisissem: hoc,  
hoc est quo <cor> peracescit;
- 1099a** hoc est demum quod percrucior,
- 1100** me hoc aetatis ludificari,
- 1100a** [immo edepol sic ludos factum]  
cano capite atque alba barba
- 1101a** miserum me auro esse emunctum.  
Perii, hoc servom meum non nauci facere esse ausum! atque ego, si alibi plus perdiderim, minus aegre habeam minusque id mihi damno ducam.
- 1105** **PHILOXENUS** Certo hic prope me mihi nescio quis loqui visust; sed quem video? Hic quidemst pater Mnesilochi. **NIC.** Euge, socium aerumnae et mei mali video. Philoxene, salve. **PHIL.** Et tu. Unde agis? **NIC.** Unde homo miser atque infortunatus.  
**PHIL.** At pol ego ibi sum, esse ubi miserum hominem decet atque infortunatum.  
**NIC.** Igitur pari fortuna, aetate ut sumus, utimur. **PHIL.** Sic est. Sed tu, quid tibist? **NIC.** Pol mihi par, idem est quod tibi.

- 1110 **PHIL.** Numquid nam ad filium haec aegritudo attinet?  
**NIC.** Admodum. **PHIL.** Idem mihi morbus in pectore est.  
**NIC.** At mihi Chrysalus optumus homo  
perdidit filium, me atque rem omnem meam.  
**PHIL.** Quid tibi ex filio nam, obsecro, aegrest? **NIC.** Scies:
- 1115 id, perit cum tuo: ambo aequae amicas habent.  
**PHIL.** Qui scis? **NIC.** Vidi. **PHIL.** Ei mihi, disperii.  
**NIC.** Quid dubitamus pultare atque huc evocare ambos foras?  
**PHIL.** Haud moror. **NIC.** Heus Bacchis, iube sis actutum aperiri fores,  
nisi mavoltis fores et postes comminui securibus.
- 1120 **BACCHIS** Quis sonitu ac tumultu tanto nominat me atque pultat aedes?  
**NIC.** Ego atque hic. **BACCH.** Quid hoc est negoti nam, amabo?
- 1121a **PHIL.** Quis has huc ovis adegit?  
**NIC.** Ovis nos vocant pessumae. **SOROR** Pastor harum  
dormit, quom haec eunt sic a pecu balitantes.  
**BACCH.** At pol nitent, haud sordidae videntur ambae.
- 1125 **SOR.** Attonsa haec quidem ambae usque sunt. **PHIL.** Ut videntur  
deridere nos. **NIC.** Sine suo usque arbitrato.  
**BACCH.** Rerum ter in anno tu has tonsitari?  
**SOR.** Pol hodie altera iam bis detonsa certo est.  
**BACCH.** Vetulae sunt [...]. **SOR.** At bonas fuisse credo.
- 1130 **BACCH.** Viden limulis, obsecro, ut intuentur?  
**SOR.** Ecce sine omni arbitror malitia esse.  
**PHIL.** Merito hoc nobis fit, qui quidem huc venerimus.  
**BACCH.** Cogantur quidem intro. **SOR.** Haud scio quid eo opus sit,  
quae nec lac nec lanam ullam habent. Sic sine astent.
- 1135 **PHIL.** Exsolvere quanti fuere, omnis fructus  
iam illis decedit. Non vides, ut palantes  
solae liberae  
grassentur? Quin aetate credo esse mutas:
- 1138a **PHIL.** ne balant quidem, quom a pecu cetero absunt.  
Stultae atque haud malae videntur.
- 1140 **SOR.** Revortamur intro, soror. **NIC.** Ilico ambae
- 1140a **PHIL.** manete: haec oves volunt vos.  
**SOR.** Prodigium hoc quidemst: humana nos voce appellant oves.  
**NIC.** Haec oves vobis malam rem magnam, quam debent, dabunt.  
**BACCH.** Si quam debes, te condono: tibi habe, numquam abs te petam.  
Sed quid est quapropter nobis vos malum minitamini?
- 1145 **PHIL.** Quia nostros agnos conclusos istuc esse aiunt duos.  
**NIC.** Et praeter eos agnos meus est istuc clam mordax canis:  
qui nisi nobis producuntur iam atque emittuntur foras,  
arietes truces nos erimus, iam in vos incursabimus.  
**BACCH.** Soror, est quod te volo secreto. **SOR.** Eho, amabo. **NIC.** Quo illaec abeunt?
- 1150 **BACCH.** Senem illum tibi dedo ulteriorem, lepide ut lenitum reddas;  
ego ad hunc iratum adgrediar, <si> possumus nos hos intro inlicere huc.  
**SOR.** Meum pensum ego lepide accurabo, quamquam odiosam mortem amplexari.

- BACCH.** Facito ut facias. **SOR.** Taceas. Tu tuom facito: ego quod dixi haud mutabo.
- NIC.** Quid illaec illic in consilio duae secreto consultant?
- 1155 **PHIL.** Quid ais tu, homo? **NIC.** Quid me vis?
- 1155a **PHIL.** Pudet dicere me tibi quiddam.
- NIC.** Quid est quod pudeat? **PHIL.** Sed amico homini tibi quod volo credere certumst.
- Nihili sum. **NIC.** Istuc iam pridem scio. Sed qui nihili es? Id memora.
- PHIL.** Tactus sum vehementer visco;  
cor stimulo foditur. **NIC.** Pol tibi multo
- 1159a aequius est coxendicem.
- 1160 **Sed quid istuc est? Etsi iam ego ipse quid sit probe scire puto me;  
verum audire etiam ex te studeo. PHIL. Viden hanc? NIC. Video. PHIL. Haud  
mala est mulier.**
- NIC.** Pol vero ista mala et tu nihili. **PHIL.** Quid multa? Ego amo. **NIC.** An  
amas? **PHIL.** *Nài gâr.*
- NIC.** Tun, homo putide, amator istac fieri aetate audes? **PHIL.** Qui non?
- NIC.** Quia flagitium est. **PHIL.** Quid opust verbis? Meo filio non sum iratus,  
neque te tuost aequom esse iratum: si amant, sapienter faciunt.
- 1165 **BACCH.** Sequere hac. **NIC.** Eunt eccas tandem  
probri perlecebrae et persuastrices.
- 1167a **Quid nunc? Etiam redditis nobis  
filios et servom? An ego experior**
- 1168a **tecum vim maiorem? PHIL. Abin hinc?**
- Non homo tu quidem es, qui istoc pacto tam lepidam inlepide appelles.**
- 1170 **BACCH.** Senex optime quantumst in terra, sine <me> hoc exorare abs te,  
ut istuc delictum desistas tanto opere ire oppugnatum.
- NIC.** Ni abeas, quamquam tu bella es,  
1172a **malum tibi magnum dabo iam. BACCH. Patiar,  
non metuo, ne quid mihi doleat**
- 1173a **quod ferias. NIC. Ut blandiloquast!  
Ei mihi, metuo. SOR. Hic magis tranquillust.**
- 1175 **BACCH.** I hac mecum intro atque ibi, si quid vis,  
1175a **filium concastigato.**
- NIC.** Abin a me, scelus? **BACCH.** Sine, mea pietas, te exorem. **NIC.** Exores  
tu me?
- SOR.** Ego quidem ab hoc certe exorabo. **PHIL.** Immo ego te oro, ut me  
intro abducas.
- SOR.** Lepidum te. **PHIL.** At scin quo pacto me ad te intro abducas? **SOR.**  
Mecum ut sis.
- PHIL.** Omnia quae cupio commemoras.
- 1179a **NIC.** Vidi ego nequam homines, verum te
- 1180 **neminem deteriolem. PHIL. Ita sum.**
- BACCH.** I hac mecum intro, ubi tibi sit lepide victibus, vino atque unguentis.
- NIC.** Satis, satis iam vostrist convivi:  
1182a **me nil paenitet ut sim acceptus:  
quadringentis Philippis filius me et**

- 1183a Chrysalus circumdlexerunt.  
Quem quidem ego ut non excruciem,  
1184a alterum tantum auri non meream.  
1185 **BACCH.** Quid tandem, si dimidium auri  
1185a redditur, in hac mecum intro? Atque ut  
eis delicta ignoscas. **PHIL.** Faciet.  
1186a **NIC.** Minime, nolo. Nil moror, sine sic.  
Malo illos ulcisci ambo.  
**PHIL.** Etiam tu, homo nihili? Quod di dant boni cave culpa tua amissis:  
dimidium auri datur: accipias, potesque et scortum accumbas.  
1190 **NIC.** Egon ubi filius corrumpatur meus, ibi potem? **PHIL.** Potandumst.  
**NIC.** Age iam, id ut ut est, etsi est dedecori, patiar, facere inducam animum:  
egon, cum haec cum illo accubet, inspectem? **BACCH.** Immo equidem  
pol tecum accumbam,  
1192a te amabo et te amplexabor.  
**NIC.** Caput prurit, perii, vix negito.  
**BACCH.** Non tibi venit in mentem, amabo,  
1194a si dum vivas tibi bene facias  
1195 tam pol id quidem esse haud perlonginquom,  
1195a neque, si hoc hodie amissis, post in  
1195b morte eventurum esse umquam?  
**NIC.** Quid ago? **PHIL.** Quid agas? Rogitas etiam? **NIC.** Libet et metuo.  
**BACCH.** Quid metuis?  
**NIC.** Ne obnoxius filio sim et servo. **BACCH.** Mel meum, amabo, etsi  
haec fiunt,  
tuost: unde illum sumere censes, nisi quod tute illi dederis?  
Hanc veniam illis sine te exorem. **NIC.** Ut terebrat! Satin offirmatum  
1200 quod mihi erat, id me exorat?  
Tua sum opera et propter te improbior. **BACCH.** Neminis quam mea  
mavellem.  
Satin ego istuc habeo firmatum? **NIC.** Quod semel dixi haud mutabo.  
**BACCH.** It dies, ite intro accubitum,  
filii vos exspectant intus. **NIC.** Quam quidem actutum emoriamur.  
1205 **SOR.** Vesper hic est, sequimini. **NIC.** Ducite nos quo lubet tamquam  
quidem addictos.  
**BACCH.** Lepide ipsi hi sunt capti, suis qui filiis fecere insidias.  
**GREX** Hi senes nisi fuissent nihili iam inde ab adulescentia,  
non hodie hoc tantum flagitium facerent canis capitibus;  
neque adeo haec faceremus, ni antehac vidissemus fieri,  
1210 ut apud lenones rivales filiis fierent patres.  
Spectatores, vos valere volumus et clare adplaudere.